

MISCELLANEE
1058
23
NAZ. CENTRALE



REGIÆ CELSITUDINI
SERENISSIMI
IO: GASTONIS
MAGNI ETRURIÆ PRINCIPIS
Se , ſuaſque Theologicas Theſes
IUXTA MENTEM SS. ECCLESIÆ LUMINUM
AUGUSTINI ET THOMÆ
Publicè propugnandas
PATRES AUGUSTINIANI EXCALCEATI
CONVENTUS FLORENTIÆ
In perenne Animi Obſequium.
D. D. D.







FLORENTIÆ. M.DCC.XX.
Ex Typographia Ioſephi Manni ſub Signo Sancti Ioannis Dei.
SUPERIORUM PERMISSU.



AD EUNDEM
SERENISSIMUM
PRINCIPEM

ELEGIA.



ÆCENAS Ducibus ſex Magnis edite Tuſcis
GASTON, dulce decus, præſidiumque valens!
Sunt quos, ingenuos animos ut Principis Alti
Devinxiſſe ſibi, promeruiſſe queant,


Quos

Quos iuvat, assiduas alternis ipsius aures,
    Vocis nunc modulis, nunc recreare chelys;
Egregio cordi, vel quos, solatia digna,
    Et placidis oculis exhibuisse, iuvat:
In sabulo alipedes modò gressibus experiendo
    Lentis, aut rapidis, colla domante manu;
Obtusos enses modò, fraxineasque vibrando
    Hastas in pectus pervigil, at socium.
Nos autem, MEDICES præcordia novimus ampla
    Qui meliùs, sapiens ingeniumque Tui,
Novimus insignem Te implentem questubus aulam:
    Heù Sophiæ studiis rara palæstra calet!
Ærea Te pigris calcaria, solicitisque
    Aurea, Virtutis quo applicuisse lucro.
Nos, inquam, satiùs iuvat his diversa sacratæ
    Palladis in circo prælia suscipere;
Sanctiùs, atque pio nisu exercere Minervam,
    Sic Tibi, sic detur posse placere Deo.
Mentis, non vocis vis est aptanda, manusve,
    Mentis, cui Fidei luxerit alma dies.
Docta magis placuere Tibi certamina semper,
    A queis Virtutis præmia Victor habet,
Ipsam Virtutem pretioso munere quovis
    Maiorem, quavis laude decus melius.
Accipe nostra, quasi sint grandia munera, Princeps,
    Nuda etsì Virtus Cui tamèn ipsa placet.
Si aspectu suavi dignaberis, utque secundò,
    Hæc censebuntur gratificata satis.





DE VISIONE DEI.

I. NULLUS Intellectus creatus ex viribus propriis potest clarè, & intuitivè videre Deum, sed ad hoc est necessarium lumen gloriæ.

II. Oculus corporeus non potest elevari ad claram Dei visionem.

III. Non solùm non datur, sed nec est possibilis species impressa creata in visione beatifica, quæ Deum ut est in se clarè, & intuitivè repræsentet.

IV. Licèt essentia divina possit uniri intellectui creato per modum speciei intelligibilis, non tàmen in ratione luminis. Sicutì intellectus creatus non potest reddi intrinsecè potens ad videndum Deum per solam eius assistentiam extrinsecam, sed ad hoc necessarium est lumen gloriæ per modum habitus, vel auxilii communicatum.

V. Intellectus creatus lumine gloriæ persusus producit efficienter visionem beatificam ut vera causa secunda principalis, & non ut merum instrumentum Dei.

VI. Visiones hominum, & Angelorum, non differunt inter se specie essentiali.

VII. Tota inęqualitas Visionis est proximè reducenda in solam luminis gloriæ inæqualitatem, nullatenùs verò in naturalem intellectus creati perspicaciam, & activitatem.

VIII. Beati non solùm non comprehendunt, sed nec etiam comprehendere possunt Deum. Ità tamèn vident omnia, quæ sunt formalitèr in Deo, ut repugnet videri à Beatis divinam essentiam sine attributis, & personis.

DE SCIENTIA DEI.

I. OBiectum primarium motivum divini intellectus est sola divina essentia; terminativum autem primarium sunt omnia divina.

II. Ità Deus cognoſcit creaturas in eſſentia ſua tamquàm in causa, & medio priùs cognito, ut repugnet dari in Deo cognitionem creaturarum poſſibilium immediatè in ſe ipſis.

III. Creaturas verò futuras non cognoſcit Deus certò, & infallibilitèr, pro priori ad ſuum decretum, ſed ſolùm in decreto, & prædefinitione ſuæ voluntatis, ſeù in eſſentia ſua, ut applicata per decretum.

IV. Futura contingentia abſoluta ſunt Deo ab æterno præſentia, non ſolùm obiectivè, ſed etiam realitèr, & phyſicè ratione ſuæ æternitatis.

V. Dantur in Deo decreta ſubiectivè abſoluta, & obiectivè conditionata; undè ſcientia media reiicitur.

DE VOLUNTATE DEI.

I. DEus nullo modo amat creaturas poſſibiles.

II. Actus liber Dei eſt ipſe actus neceſſarius, ut dicens habitudinem non neceſſariam ad creaturas.

III. Deus voluntate antecedenti, etiam poſt Adæ lapſum, vult omnes homines ſalvos fieri; quæ voluntas eſt in Deo propriè, & non metaphoricè.

IV. Circà noſtros actus liberos Deus habet decreta ex ſe, & ab intrinſeco efficacia.

DE PRÆDESTINATIONE ET REPROBATIONE.

I. ELectio efficax prædeſtinatorum ad gloriam non fit ex præviſis meritis.

II. Glorificatio, iuſtificatio, & quæcumque efficax vocatio ſunt effectus prædeſtinationis; ſicutì ſubſtantiam prædeſtinati, & permiſſionem peccati etiam inter prædeſtinationis effectus numeramus.

III. Reprobatio ut dicit voluntatem puniendi, & infligendi pœnam, non eſt ante præviſa demerita, ſed ab illis, tamquàm à motivo, dependet.



DE

DE SS. TRINITATIS MYSTERIO.

I. DAntur in Deo processiones, quarum principium radicale est divina essentia ut modificata relatione, loquendo de principio quo; sicutì proximum utriusque processionis principium est intellectus, ut modificatus relatione paternitatis in ordine ad processionem Verbi, & voluntas ut modificata relatione spirationis activæ in ordine ad processionem Spiritus Sancti. Principium verò, quod respectu generationis Filii est suppositum Patris, respectu productionis Spiritus Sancti suppositum Patris, & Filii.

II. Ratio proxima, & immediata cur processio Verbi sit generatio, non autèm processio Spiritus Sancti, est, quia Verbum procedit in similitudinem naturæ ex vi suę processionis, secùs verò Spiritus Sanctus.

III. Benè salvatur distinctio realis personarum cum perfecta illarum identitate in essentia divina.

IV. Relationes divinæ non addunt perfectionem relativam ad divinam essentiam.

V. Non dantur in divinis tres existentiæ relativæ realitèr inter se distinctæ; subsistentia tamèn si accipiatur pro perseitate incommunicabilitatis multiplicatur realitèr, si accipiatur pro perseitate independentiæ non multiplicatur in divinis.

VI. Verbum divinum per se in quarto modo non solùm procedit ex cognitione essentiæ, & paternitatis, sed etiam sui, Spiritus Sancti, & omnium divinorum, immò & creaturarum possibilium, secùs verò ex cognitione futurorum.

VII. Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non distingueretur realitèr ab illo.

VIII. Personę divinę constituuntur per relationes; undè persona Patris v. g. optimè constituitur per relationem paternitatis, & per illam distinguitur à Filio, & per illam ad Filium refertur.

DE GRATIA.

I. HOmo lapsus cum solo concursu generali, & absque speciali gratia aliquas veritates naturales tùm speculativas,

tùm practicas potest cognoscere, immò & omnes divisivè, non tamèn collectivè.

II. Absurdum est dicere nullum opus morale honestum fieri posse sine gratia sanctificante, ità ut quæcumque fiunt à peccatoribus ante adeptam iustificationem sint peccata. Sicutì falsum est dicere, quod omnia opera infidelium sint peccata; undè homo lapsus sine auxilio speciali, & cum solo concursu generali Dei; potest aliqua opera honesta, & moralitèr bona ordinis naturalis efficere.

III. Homo in statu naturæ lapsæ non potest viribus liberi arbitrii Deum ut authorem naturæ dilectione efficaci super omnia diligere. Sicutì non potest totam legem naturæ observare sine speciali gratia.

IV. Ad nunquàm peccandum venialitèr requiritur speciale privilegium, quod soli Beatissimę Marię Virgini fuit concessum.

V. Ad actu perseverandum in iustitia usque ad mortem, pręter gratiam habitualem, & auxilia ei annexa ex communi lege, requiritur aliud donum speciale; quod extendimus tùm ad adultos, qui statìm post acceptam gratiam sanctificantem moriuntur, tùm ad parvulos baptizatos decedentes ante usum rationis.

VI. Gratia sanctificans realitèr distinguitur à charitate.

DE IUSTIFICATIONE, ET MERITO.

I. IN iustificatione verè, & propriè remittuntur peccata, & non solùm ipsa Christi Domini iustitia tamquàm pallio teguntur, aut occultantur.

II. Actus contritionis, & charitatis non sunt causa formalis iustificationis, sed id soli gratiæ habituali competit.

III. Repugnat gratiam sanctificantem, & peccatum tùm habituale, tùm actuale posse esse simul, etiam de potentia Dei absoluta.

IV. Actus contritionis, & charitatis; qui ad gratiam ultimò disponunt, sunt effectivè ab ipsa gratia habituali, non verò ab aliquo auxilio ab ea realitèr distincto.

V. Retributio præmii pro meritis in Deo est actus iustitiæ, non commutativę, sed distributivę.

VI. Opera iustorum ex gratia, & charitate procedentia sunt verè, & propriè ab intrinseco meritoria vitę æternę. VII.

VII. Nullus potest de condigno mereri primam gratiam sanctificantem, benè tamèn eius augmentum.

VIII. Homo iustus non potest mereri sibi reparationem post lapsum merito de condigno, neque de congruo, si meritum de congruo strictè, & propriè accipiatur, benè tamèn si largè, & minùs propriè usurpetur.

DE FIDE SPE ET CHARITATE.

I. OBiectum formale quod Fidei est Deus sub ratione primæ veritatis in essendo; obiectum vero formale, sub quo est prima veritas in dicendo, ut connotans primam veritatem in cognoscendo.

II. Ultima Fidei nostræ resolutio quoad propositionem, & revelationem credendorum fit in solam Ecclesiam a Spiritu Sancto directam, qua veluti organo fidelibus loquitur, & credenda proponit, & revelat; at ultima resolutio quoad assensum, quem fidelis præbet Deo sua mysteria revelanti, fit solùm in primam veritatem, & non in Ecclesiæ testimonium.

III. Deus etiam de potentia sua absoluta, nec per se, nec per alium mentiri potest.

IV. Mysteria Fidei Christianæ sunt evidentèr credibilia.

V. Scriptura, Traditiones, & Ecclesia sunt regulæ infallibiles nostræ Fidei; sicutì etiam Romanus Pontifex ex Cathedra loquens, & Concilium Generale legitimè congregatum, est infallibilis regula viva ipsius Fidei.

VI. Suprema potestas regendi universalem Ecclesiam soli singulari personæ Petri a Christo fuit concessa, quæ ad legitimos successores eius Romanos Episcopos fuit transfusa; undè Paulus æqualem cum Petro potestatem in Ecclesia non habuit.

VII. Facta legitima electione, de Fide est, etiam immediatè, hunc hominem in particulari, v. g. Clementem XI. esse verum Papam, non solùm ab eo tempore, quo aliquid de Fide determinavit, & Ecclesiæ credendum proposuit, sed etiam ab illo, quo eius electionem fuisse validam declaravit Ecclesia.

VIII. Ad actum internum Fidei requiritur pia motio voluntatis.

IX. Actus internus Fidei supernaturalis est omnibus adultis simplicitèr necessarius, necessitate medii, ad salutem, ità ut sine illo in re habito iustificari, & salvari non possint, secundùm legem ordinariam.

X. An-

X. Ante Christi adventum, seù in lege naturæ, & in lege scripta, fides explicita ipsius Christi, ut Redemptoris, & Mediatoris venturi non fuit necessaria, necessitate medii, ad salutem; post tamèn sufficientem legis Evangelicę promulgationem talis fides explicita Incarnationis, & etiam Trinitatis, necessaria est necessitate medii, tùm ad iustificationem, tùm ad ęternam beatitudinem.

XI. Præceptum affirmativum de Fide exteriùs profitenda non obligat fideles, data quavis occasione, sed tantùm in quibusdam casibus; undè per se loquendo licitum est etiam Pastoribus, & Prælatis fugere, vel se occultare tempore persecutionis. Præceptum verò negativum de Fide non neganda obligat semper, & pro semper: undè homo gravitèr peccat, si exteriùs neget Fidem quamvis eam in corde retineat.

XII. Obiectum formale quod Spei Theologicæ est beatitudo obiectiva connotans tanquam modum, aut conditionem requisitam beatitudinem formalem; ratio autèm formalis sub qua est divina omnipotentia, sivè Deus ut auxilians.

XIII. Si Deus alicui revelaret suam æternam damnationem, non posset ille talis beatitudinem sperare; undè præceptum Spei Theologicæ ad ipsum non se extenderet.

XIV. Charitas est verè, & propriè amicitia hominis ad Deum; cuius obiectum formale motivum est bonitas solius naturæ divinæ, ut ab attributis virtualitèr distinctæ.

XV. Charitas ut se extendit ad Deum, & ad proximum, est virtus unius speciei atomæ.

XVI. Charitas habitualis, quandiù sumus in statu viæ, augeri potest, cuius augmentum, licèt ab actibus charitatis remissis de condigno promereatur, non datur tamèn in hac vita quandò homo æqualem, vel intensiorem actum charitatis elicit, sed differtur usque ad ingressum gloriæ.

DE INCARNATIONE.

I. Possibilis est Incarnatio, quæ tamèn solo lumine naturali non potest evidentèr demonstrari, aut cognosci.

II. Pura creatura, quantumcumque gratia exornata, nequit pro suo, vel alieno peccato mortali condignam Deo exhibere satisfactionem; sed ad hoc necessarium fuit Deum incarnari.

III. Christi satisfactio ex sua intrinseca dignitate fuit condigna,

gna, & æquivalens, immò superabundans pro peccato generis humani; sicutì etiam fuit valoris simplicitèr infiniti, & de toto rigore iustitiæ.

IV. Ex vi præsentis decreti si Adam non peccasset, Verbum carnem non assumpsisset.

V. Inter Verbum, & humanitatem non datur modus unionis superadditus.

VI. Ratio formalis, & proxima, per quam Verbum divinum terminavit humanitatem, non est subsistentia absoluta, & communis, sed personalitas, seù subsistentia relativa, & personalis.

VII. Verbum divinum non solùm subsistentiam, sed etiam existentiam in humanitate Christi supplevit; sicutì etiam dicimus, quod Deus, ut communis tribus personis, ratione subsistentię absolutę potest alienam naturam assumere, & illi immediatè uniri, subsistentiis relativis eam solùm secundariò terminantibus.

VIII. Plures personę divinę possunt assumere eandem naturam creatam, sicutì una persona divina potest simùl plures naturas creatas assumere.

IX. Natura creata subsistens in propria persona, & propria personalitate retenta, non potest uniri personæ divinæ, & per illius subsistentiam subsistere.

X. Humanitas Christi Domini est grata, & sancta formalitèr per aliquod donum substantiale a gratia habituali distinctum, nimirùm per gratiam unionis; prætèr tamèn istam gratiam unionis datur in anima Christi gratia habitualis, quæ in ipsa anima Christi fuit necessaria ad completam, & consummatam illius sanctificationem.

XI. In anima Christi Domini fuerunt omnes virtutes supernaturales, & per se infusæ, exceptis illis, quæ cum statu beatifico, & cum unione humanitatis ad Verbum repugnant. Sicutì etiam fuerunt in illa virtutes naturales, & per se acquisibiles, ità tamèn quod istæ virtutes morales per se acquisibiles fuerunt Christo a primo instanti suæ conceptionis infusæ.

XII. Ponenda est in Christo Domino scientia ex genere suo acquisibilis, qui tamèn dictam scientiam per se acquisibilem propriis actibus sibi comparavit.

XIII. Christus ut homo Filius Dei adoptivus non est.



Diſputabuntur publicè
In Eccl. SS. Auguſtini, & Chriſtinæ
Florentiæ
AB IISDEM PATRIBUS, UT SUPRA,
AN. MENSE DIE

